



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Annalivm Trevirensium**

**Masen, Jacob**

**Augustae Trevirorum, 1676**

Liber XX. Alexand. VI. Pap. Maximil. I. Imp.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12542**

## LIBER XX.

*Alexand. VI. Pap. Maximil. I. Imp.*

Annus Christi.

1500.

Carolus V.  
nascitur &  
Dux Lutz-  
burgi crea-  
tur.Augustana  
comitia tri-  
bunal Nori-  
bergæ eri-  
gunt.Captivi à  
Turcis ope  
Deiparæ E-  
verhardi Clu-  
sanæ liberan-  
tur.

1501.

**L**utzelburgum hoc anno, Jubilæi honoribus sacro, novum in cunis Principem, Carolum V. ex Philippo Maximiliani filio & Joanna Ferdinandi Catholici Regis filia, nanciscitur. Is enim Gandavi, bissextili Februarii die, Matthiæ Apostolo consecrato, natus, Dux Lutzelburgiorum dictus est: ut ab ipsis jam incunabulis imperio adsuesceret, quod senex fastidivit. Lutzelburgi vero administratio Christophoro Badensi Joannis fratri commissa est.

Sed Bajazetes Turcarum Imp. cum hoc tempore metuendus Europæ incumberet: Augustano Principum ac Cæsaris conventu, decreta rursus, more Germanorum magis quam præstita fuere subsidia, legesque publicis rebus componendis latæ, ac Noribergæ etiam hoc fine constitutum tribunal. Quando, admirabili redemptus Deiparæ patrocínio, Theodoricus de Novocastro, miles Trevericus, è Turcica captivitate adfuit, Pro Venetis ille in Peloponesi defensione steterat, sed cum Methonâ, Jonico, & Coronâ, urbibus à Bajazete victis, is quoque in arctissima Coronæ vincula compactus, libertatis cupiditate, Everhardi clusanam apud Treviros Virginem imploravit. Quæ non illi solum, verùm & consortibus preces feliciter cecidere; siquidem vinculis haud multò post, nec opinantibus Turcis, soluti, ad patriam sospites abiere. Is verò Everhardi clusam reversus, in grati animi testimonium, hastam, clypeum, ac militare baltheum ibidem ad aram consecravit, suspenditque.

Certatum inter hæc pro Jacobi admissione, quam impetrato Româ pallio certam habere visus est; sed Capitulo nihilo secius obluetante. Ut Alexander sacrorum etiã interdictu resistentes perstringeret. Hinc

Ordi-

Ordines habito comitio decrevere. 1. Nulli nisi suffragiis Capitularium electo parendum. 2. Non recipiendum arcibus u. bibusque, nisi jurata prius fide privilegia utriusque ordinis sacri profanique sancierit: armisque collatis, si quid moveat Adjutor nuper propositus, jus patriæ propugnandum. 3. Non obsequendum, si clandestinam quoque cum Metropolitanò collegio societatem in detrimentum reip. ineat. Quæ, ad damnatam quondam à Pontifice & Cæsare unionem resumendam, spectare videbantur.

Sequens deinde annus seculi 53. Joanni fatalis extitit, quando nono Februarii die, in arce Ehrenbreitsteiniana supremum diem clausit, jam pœnè septuagenarius, octavo & 40. Episcopatus sui anno, quem pauci assequuntur. Exequiæ illi Treviris institutæ solennes, sepultura humilis in occidua templi parte, sub cælato, non tamen inscripto cenotaphio. Pacificus religiosusque Princeps qui Ludolphum ab Enschringen Præpositum S. Simeonis divini humanique juris peritissimum, ut carum sibi, ita in consiliis omnibus pro Cancellarii munere adjunctum, è nobilitate, habuit. Gratus subditis: nisi quod solo tributorum onere, & sanguinis sui amore displicere postremò cœperit. Sed utrumque facile crimen diluit, hoc, quod dignissimum illo munere Nepotem offerret; illud, quod oppressam ære dioccesin nactus, eidem levandæ vestigalia impenderit. Castrum Hunolsteinium, masculo herede defuncto justisque gravatum debitis, ut feudum ære vendicârit. Marcetum à Rabano Sirckiiis pignori oblatum redemerit. alia ædificiis castrensi que apparatus tribuerit. Colendæ Dei parenti impense deditus, Præsentationis ejusdem festum diem, primus hic esse jussit. Passionis quoque dominicæ feria sexta recolendæ gratia, triplex sub meridiem ære campano per dioccesin signum dari voluit: ad quod, positus humi genibus, Christi vulneribus honorem precantes haberent.

Sub mortem Capitulares plerique, Hoenfeltzio  
Deca-

1502.  
Jacobus Adjutori se opponunt, nova unione proceres.

1503.  
Joannes Archiep. moritur, ac sepelitur.

Purgatio ejusdem.

Pietas ac religio.

Electus à Ca-  
pitulo Rheni  
Palatinus Ja-  
cobo impar  
& dit.

Decano impulsore, ut Jacobum eliminarent, potentem eidem adversarium, Georgium Rheni Palatinum Moguntinensem Præpositum, collatis suffragiis postulatam, opposuere. Sed cum Fridericus Bavarus, Damianus Helmstadius, Arnoldus de Salmis, Theodoricus Rollingen, & Joannes Wiltzius, ex eodem capitulo, pro Badensi starent, Cæsare ac Pontifice accedente, Georgius his impar ultro cessit, ac Jacobo, ad omnem eruditionem pietatemque formato, Italiâ applaudente, locum fecit. Quando tamen Alexander VI. majoris animi, quàm virtutis Pontifex, Pio III. & hic die XXVI. post moriens Julio II. cathedram reliquit.

Tritheimii  
laus ab inge-  
nio & erudi-  
tione, cum  
infamia Ma-  
giæ discussa.

Non omittendus nobis hoc loco est celeberrimus Abbas Spanheimensis Joannes Tritheimius, ex cognomine ad Mosellam pago oriundus. Cujus admiranda ingenii vis, scriptorumque, præsertim mathematicorum monumenta, & Magiæ naturalis ac reconditarum artium in steganographia professio, homini apud summos Principes gratiam, apud vulgus autem, doctosque etiam, hæc naturæ artisque secreta non penetrantes, Magiæ dæmoniacæ suspicionem creavit. Quin & Joanni Comiti Westenburgico, & Joachimo Principi Brandenburgico, quibus ad occulta instruendis operam dabat, ea perscripsit, Bostioque Gandavensi jactabundè tam aliena à vulgi experimentis de sua arte venditavit; ut nihil infra Dæmoniacos posse videretur. Ex quibus est, quòd centum millibus passuum absenti, suam manifestare mentem queat: quòd latii sermonis expertem duabus horis ornatè disertèque scribentem inducere: quòd in omni linguâ mundi docere alios possit: quòd necromanticis possibilia, & ipse haud gravatè effecturus sit. Quâ, indignâ religioso viro jactantiâ famam integritatis haud mediocriter attrivit. Verùm hæc, cum suis principis, denique perspicacioribus, ut Seleno in Cryptographicis, Athanasio Kircherò, & Gaspare Schotto, Mathematicarum artium peritis, inspecta patuere: qui jultis eum vindiciis, etiam contra Brovverum, ab omni calum-

calumnia eximunt. Quanquam & Sacri ejusdem Tractatus, quorum 25. facile reliquit, omni religione & pietate instructi, traductaq; innocenter vita eundem abunde tueantur. Cum religiosæ diversis etiam locis disciplinæ instaurator, exemplo morum Benedictinæ familiæ Patribus præluxerit. Spanheimensi tamen Abbacia bello invidiaque suorum exturbatus, postquam aulas Principum Palatini ac Brandenburgici fastidiosè delibasset, quamvis & Maximiliano gratus Cæsari, Herbipolensis Episcopi Laurentii gratiâ, in S. Jacobi Monasterium, se rursus ad literarum otium recepit, ibidemque anno 1516. moriens sepulchrum habuit.

Bellum, quo Tritheimius pulsus est, à Georgii Bavaricæ Ducis morte natum est: quòd is suis præteritis, Robertum Palatinum Georgii Comitis filium heredem scripsisset, Qui cum armata in possessionem manu irrumperet, Maximilianus Cæsar Alberto Bavaro sororio junctus, Palatinum ditione etiam patria dejecisset, nisi Jacobus Trev. Archiepiscopus cum Patre Christophoro medius partium, ut reciperet Palatinum Cæsar supplicem, impetrasset, causæque controversia comitiis sequentis anni, ut factum est, Coloniensibus finiretur.

Domi verò Jacobus dum jus cudendæ constituendæque monetæ, quondam ab urbe præensum, à Carolo tamen IV. Archiepiscopo adjudicatum, sibi vendicaret, Senatus populusque libertatis tuendæ specie obnixus est. Quâ re in præsens dissimulatâ, ad indicta Hagenoæ Imperii Comitia profectus est, ibidemque Philippum Regem Hispaniarum Maximilianum patrem invisentem salutavit, regaliumque munere ab Imperatore affectus est. Ubi & Ludovici Galliarum Regis Legati Mediolanensis ducatus beneficium, Cæsari fide clientelari præstitâ, acceptum retulere, eâ tamen lege, ut Carolo Philippi Regis filio is denique cum filia Regis Claudia cederet.

Hinc cum Cæsar Principesque Coloniam, ut diximus, Boicis rebus componendis descendissent; inde adver-

Vide Annotat. meas ad Tom. 2. Brown.

1504.  
Bellum Bojopalatinum  
Cæsar armis ac deinde Comitiis Coloniensibus absolvit.

Jus constituendæ monetæ Treviris disceptatur.

1505.

Jus regalium in Comitiis Hagenoæ Jacobus accipit.

Carolus Geldriae Dux armis Cæsareis subditur, & Trevirensium Reliquiis ornatur.

Lis cum urbe Trev. recrudescens, pace sopitur.

1507.

Maximilianus in Italiam pro corona imperiali transiturus à Venetis impeditur.

Rex Galliarum Ludovicus Mediolanensem ducatum occupat.

1508.

adversus Carolum Geldriae Ducem, suis Gallorumque opibus armisque Brabantiae infestum, ductis copiis processere, quibus impar ipse Cæsaris se se Principumque arbitrio submit. Cui Jacobus B. Martyris Eusebii ossa, ex Prumiensi Monasterio concessit, Ainemiensi oppido (cujus jam olim Curio Abbas erat) inferenda, honestasque vicissim possessiones Carolus in Geldria Prumia assignavit.

Publicis hisce curis Jacobus defunctus, ad privatas cum urbe contentiones decidendas rediit, ac temporaria Joannis patris indulta, quae amore pacis tribuerat, rescissurus erat; nisi Capitularium intercessione, paucis solum mutatis, decreta ejusdem, temporali rursus sanctione stabilivisset: ne durum ancepsque ab armis quietis remedium petendum esset.

Posthac Maximiliani Cæsaris, principumque Germanorum, curae ad Romanam profectioem, coronamque imperialem more Majorum illic, cum iusto dominatu, capessendo, versae, eoque sine Constantiae, propius Italiam, celebrata sunt comitia. Magnae istic rerum mutationes proximis annis natae invitabant Cæsarem. Neapolitanum regnum Carolus Galliarum Rex brevi magna armorum gloria nactus turpiori mox amisit dejectus infamia, nec quicquam praeter foedae luis à Gallis dictae memoriam reliquit. Ludovicus dein, cum defuncto mox Carolo consanguineo succederet, Mediolanensi ducatu Ludovicum Sphortiam Maurum, pari felicitate, deiecit, ejectusque rursus, capto demum Mauro Victor obtinuit. Quem postquam Carolo Maximiliani nepoti una cum filia Claudia detulisset, neglecta pace, Francisco Angolismensium Principi addixit. Unde Gallis Venetisque (qui imperiales quasdam urbes tenebant) suspectus Cæsaris adventus. Et hi quidem, frustra rogati ad indulgendum transitum, Maximilianum ex faucibus alpium rejecerunt. Hinc reflexo Cæsar ad Rhenum itinere apud Jacobum, cujus prudentia consilioque delectabatur, Confluentiae & Boppardiae diver-

tit, v&amp;

tit, variisque Moguntiaë, Spiraë, Agrippinaëque conven-  
 tibus Principes de prorogandis in sex menses auxiliis  
 sollicitat. Ac subinde pactis cum Venetis induciis, Bel-  
 gium petit, ibidemque Cameraci cum Gallo celeberrim-  
 um illud fedus iniit, quo Venetorum resp. in summum  
 deinde discrimen adducta est, Pontifice & Hispano ad  
 illorum potentiam infringendam, Urbiumque spolia  
 detrahenda, conspirante. Primus in illos Rex Gallia-  
 rum Ludovicus exercitum duxit, secundissimoque ad  
 Abdiam prælio fractos, ad eam rerum desperationem  
 compulit; ut hinc Maximiliano, inde Pontifici simul  
 aggredienti, suæ cuilibet urbes cesserint, solasque inter  
 paludes Veneti, terrestribus pœne urbibus nudati, hæse-  
 rint, excommunicationis etiam à Pontifice perstricti  
 sententiâ, quòd Episcopatibus ipsi largiendis, ceu su-  
 premi suæ Ecclesiæ Domini, manus sacrilegas admovis-  
 sent. Unde, velut à cœlo terraque deserti, ad Turcarum  
 sese opem implorandam verterunt, admissuri eandem,  
 nisi corpus adversariorum tot fretum capitibus, in di-  
 versas mox abire consiliorum vias comperissent. Nam  
 Pontifex veritus, ne Galliarum Rex elatus successibus  
 potentiaque, reliquæ Italiaë occupandæ animum adjice-  
 ret Cæsarem Hispanumque ab eo ad se traducere sata-  
 gebat: Cæsar, negatis auxiliis à Germaniæ Principibus  
 Wormatiæ in hanc sententiam coëuntibus, quòd Itali-  
 cis nollent bellis, impendii quam commodi majoris ex-  
 spectatione, implicari, destitutus hæsit, neque partis in  
 Italia urbibus defendendis suffecit; Gallus suarum ur-  
 bium propugnatione ac sorte lætus acquiescebat.

Sed Pontifex hinc Ludovici vires Italis metuendas;  
 inde Venetorum ad extrema prolapsorum calamitatem  
 intuitus, supplices anathemate solvit, atque in fidem  
 recepit, egitque omni studio, ut Maximilianum à Gallis  
 ad Venetos traduceret, impeditis per legatum etiam,  
 quæ ex Germania (Comitiis rursus Augustam indi-  
 ctis) sperabat, auxiliis. Quanquam trecenta præsens  
 Cæsar obtinuerit aureorum millia, Hinc verò Jacobum  
 Archie-

Cæsar Came-  
 racense cum  
 Gallo & Pon-  
 tifice contra  
 Venetos fe-  
 dus in-  
 it.

Veneti urbi-  
 bus terrestri-  
 bus spolian-  
 tur.

1509.

Pontifex  
 Galli metu  
 ab eo disce-  
 dit.

1510.

Pontifex Ve-  
 netis conci-  
 liatus Cæsa-  
 rem frustra  
 eodem invi-  
 tat.

Archiepiscopum Coloniam, ad dissidium Urbem inter Principemque subnatum, sequestri nomine destinavit.

1511.

Jacobus  
dum conciliandis Coloniensibus dat operam moritur.

Delatus ad Ubios Jacobus, dum rebus componendis sedulam navat operam, improvise morbo, ac non multo post morte in flore ætatis 27. Aprilis die, in ædibus Petri Bielsii Canonici ad Mariæ gradus, excellentissimus Præsulum, extinguitur. Cujus finus Richardus à Greiffenclau, Christophorus Rinecus, Georgius à Petra, Joannes à Modersbach, Ecclesiæ metropolitane Canonici, Confluentiam ad S. Florinum humandum traduxere. Hujus Successor Richardus à Greiffenclau, Cantoris ante functus officio, omnium suffragiis delectus, eidem monumentum cum versibus. *Jacobo Badensi Archiepiscopo dicatis & hac subscriptione, statuit: Richardus Archiepiscopus integritatis ac virtutum defuncti memor: monumentum hoc posteritati posuit. Certè Princeps fuit, ut in omni eruditionis excellens genere, ita variarum usu linguarum promptus, auditusque apud Cæsarem principesque imperii, quatuor aliquando diversarum gentium legatis, suâ quibusque linguâ, respondere. Neque virtutum ac religionis cura minor: ut ipsius postea imagine exemploque à matre Anna Palatina proposito, Jacobus Badensis, ex Ernesto fratre Turlacensi nepos, ad religionem, à qua post Lutherum devius abierat sibi redeundum duxerit. Primus resipiscientium ab illo errore Principum, Matre in istâ caligine, unde filium in lucem eduxerat, relictâ: ut lumen accendere videntibus etiam cæcus potest. Nec Dicecesis Jacobi industriâ nihil visa levare est: Cum Megingense municipium, Cochimam, Gallobillichium, Monthaburanum oppidum, & Molsbergum octennii, quo præfuit tempore, inter varias belli profectioque expensas, suis tamen redempta oneribus, in libertatem vindicavit.*

1512.

Richardus à  
Greiffenclau

Richardus primordia obturbasset Robertus Virneburgius Abbas Prumiensis armorum strepitu, nisi singulari moderatione consilioque illum Princeps avertisset, se-



set, seque ad excipiendum Treviris cum Germaniæ Principibus Cæsarem comitiorum gratiâ convertisset.

Quo tempore, evincente apud Richardum diu obnitentem Cæsare, Toga Domini inconsutilis, cum ingenti aliarum Reliquiarum thesauro in lucem producta est. Plusquam trecentis illa annis latebat recondita, à Joannis 1. temporibus, qui illam, longè ante sepulchram, fortè retexerat. Religioque cunctis erat eandem producere, quod id malè tentatum, nec sine noxa, memorarent. Richardus tamen Maximiliani constantiâ expugnatus, Senatus Ecclesiastici consilio, post solennem populi supplicationem, 14. Aprilis feria 4. paschali ex latebris aræ summæ, quam monumenta Veterum designabant, sacrum hoc pignus, in cista ex ebore lignoque scitè compacta, produxit, aleâ cultroque rubiginoso juxta posito. Hæc ex dextro prolata aræ cornu, ex sinistro Chrysanthi & Dariæ, Marcelli & Petri, Largi & Smaragdi Martyrum, tum & Irminæ Virginis Reliquiæ; Ex manna etiam cœlesti, veste Deiparæ, fasciarum Christi, involucri sepulchrali, præcinctio pedes lavantis, reliisque SS. Paul, Silvestri, Laurentii, Georgii, Lucæ, & Apolloniæ monumentis. Aram mediam sua in arca S. Maternus, cum argentea cruce (duas ex S. Ligno partes complexâ) obtinebat. Quæ universa in lucem educta, oblenique, 3. Maji, spectaculo exhibita, præsertim illa Christi vestis, mirum est quantum lacrimarum vulgo percusserint, quantumq, conciverint pietatis ardorem, tum ad centena facile hominum millia confluxissent. Quando & basilico exequiarum apparatu Mariæ Blancæ conjugii defunctæ Maximilianus Treviris parentavit.

Cum deinde insigni religione excitati viri principes, ceteras quoque basilicas, eorumque gazas sacras lustrarent, evenit ut Uriel Moguntinensis, & Wilhelmus Argentoratensis Præsul, aram D. Willebrodi portatilem, quæ aræ haud magnæ instar itineranti pro sacrificio deserviebat, reclusam intueri cuperent. Quam ubi excuquerent, præter cetera sacrorum deposita, candida istic

Successor,  
Treviris Cæsarem in Comitibus excipit.

Toga Domini in lucem magno pietatis incitamento, producta.

Exequiæ Imperatricis.

Candida quoque Dei-

R

Deipa-

paræ toga re-  
perta est.

Cereus in-  
gens à Cæsa-  
re Epternaci  
oblatus.

Pestis causa  
Coloniam  
Comitia  
transfereun-  
tur.

Cæsar à Gal-  
lo schismati-  
co discedit,  
Germanos  
illi militare  
prohibet.

Deiparæ inscripta vestis, tenui, sed floribus intertextis, filo apparuit, diuque ignorata in lucem, novamque affluentis populi venerationem producta est.

Mens præter hæc injecta Maximiliano ( quæ erat optimi Cæsaris pietas ) S. Willebrordum, ac D. Sebastiani Martyris Reliquias Epternaci religiosè visendi, ubi votivum huic Divo cereum 300. & 50. librarum statuit, qui etiamnum dum hæc scribo maximâ sui parte superstes egregium Austriacæ devotionis monumentum est.

Quod pestis avertendæ gratiâ, cujus beneficium à D. Sebastiano hoc est loco frequens, factum existimem. Jam enim ex multitudine hominum Trevirim hoc tempore, ex sparsa Reliquiarum fama, occupantium, relicta lues invaluerat, ut iccirco, post aliquot Comitiorum de bello paceque consulta, tum solennem Richardi, cum sacerdotio, Episcopalis mitræ, ex manibus Moguntinensis, Argentoratensis, & Reinardi Wormatiensis acceptionem, Coloniam Principes cum Cæsare ad tractatum prosecutionem descenderint. Quo Richardus Cæsarem subsecutus regalium istic honore ornatus est. Actum verò de liberis imperii urbibus, quæ hinc inde ad defectionem proclives ibant, in obsequio continendis, tum viribus imperii adversus quemlibet hostem idoneo præsidio firmandis. Quòd Cæsar à Galliarum Rege, Pisano concilio adversus Julium Pontif. indicto Ecclesiam scindente, discessionem meditaretur, cuperetq; in aliquem nepotum, Carolum aut Ferdinandum, transferri imperium, cui adversaturum maximè Gallum prospiceret; fauturum tamen Pontificem; ut cujus ipse Lateranense concilium adversus Pisanum Gallosque amplecteretur.

Renuntiatâ igitur Ludovico amicitia, cum edito cavisset, ne quis Germanorum militaret Gallo, Emichoque apud Treviros Comes de Linichen, hoc neglecto, militum contractâ manu ad illum transisset. Cæsar hostem judicatum, bona prædæ, possessiones verò omnes Ludovico Palatino transcripsit. Ut exigui stipendii spe exciderit universis.

Subinde Richardus, ut benevolâ sibi urbe uteretur, fedus cum illa majorum exemplo icit, ad vitam, nequid successorum juri derogaret, valiturum, populumque cum senatu in tutelam fidemque accepit. Tum verò ad basilicam suburbanam D. Matthiæ, quam Antonius à Levven ultrajectinus, eximie integritatis Abbas, Cryptæodeoque egregii operis instruxerat, & ipse vitrearum ornamentum fenestrarum ingens addidit, & publico cæremoniarum cultu, Deo cum arâ dicavit. Inde verò, cum de S. Agricii primi Trev. Archiepiscopi cineribus, quos hinc Mattheani, contrâq; in opposito suburbio Maximiniani sibi vendicabant, nata quæstio, fluctuantem populi religionem suspenderent, Richardo jubente facta inquisitio, quâ hi victores eosdem è monumento erutos observationi publicæ exposuerunt.

Interea ob pervagatam latè famam, crescentemque populi religionem erga sacram Christi tunicam, cum Leo X. Pontifex à Mediceis in locum Julii Romæ nuper subiisset, diploma ab eo Indulgentiarum seu remissionis peccatorum omnium illis impetravit, qui in publica Togæ propositione (quæ in quodlibet septennium constituta est) venerabundi, ritèque per confessionem expiati, affluerent, fabricæque aut ornamentis templi aliquâ elemosynâ pro facultate subvenirent. Temporaria etiam centum annorum condonatio, in festis nascentis resurgentisque Domini, Pentecostes, Assumptæ Virginis, Basilicæque dedicatæ, quartaque, quinta, & sexta feria Majoris hebdomadæ, denique & sacrificio Confraternitatis hic institutæ præsentibus, modò ipsum Ecclesiæ aliquid tribuant, concessa est.

Quæ Leo cum insigni antiquitatis Trevericæ, & Reliquiarum approbatione 8. cal. Janu. Romæ anno salutaris MDXIV. largitus est, & Richardus publica supplicatione universis, explicato diplomate, proposuit, sequentemque exhibendæ propalam Dominicæ Togæ annum promulgavit. Nec inutili eventu; siquidem innumera propemodum multitudo pœnitentium, sa-

1513.

Richardus  
cum urbe  
pristinum fe-  
dus innovat.

S. Matthiæ  
Cryptam  
consecrat.  
S. Agricius  
apud Maxi-  
minianos  
eruitur.

1514.

Leo X. Julii  
Successor In-  
dulgentias in  
Togæ osten-  
sione largi-  
tur.

1519.

Togæ Domi-  
nicæ publicæ  
expositio.

crumque hoc anathema invisentium, per ostidium affluxit, spectaculoque nunquam viso, liquefactis ex gaudio animis, illacrymata est.

Deipara Burichii miraculis coli cœpta.

Novus & hoc tempore Deiparæ Matri honos, in agro Sareburgensi, Burichii natus est. Quando ista Virgo in ædicula, miserorum patrocínio implorata, frequenti miraculo adfuit; ut Richardus & templum istud augustius, &, ædificiis juxta excitatis, Curioni sacrorumque præfectis atque hospitibus locum fecerit.

1516.

Henricus Nassovius à Casare nepoti Carolo additus. Cujus Successor Guilielmus Belgii proditor.

Maximilianus verò eadem tempestate, ut Carolum propius aptaret imperio Germanorum, è Treverica nobilitate Henricum Nassovium comitem, illius, in belli pacisque artibus, regendæ juventuti præfecit. Qui in Hispaniam eundem, reducemque pro imperiali corona comitatus, ejus deinde gratiâ Claudiam Aurangia principem, & cum illa principatum traxit. Unde is ad ingratiſſimum, tam sui Regis Philippi, quàm orthodoxæ religionis proditorem, Guilielmum Aurangia Principem translatus est. Ut intelligamus *beneficia cum indignis conferuntur, facile in maleficia converti.*

1517.

Poppo Trev. ex Austriaca familia Archiep. recluso in gratiam Casaris monumento, incorruptus.

Imperator ab Ubiis redux Treviros rursus adiit, tum visendæ iteratò togæ, tum etiam Popponis Cineres ex veteri Austriacorum stirpe, sanctè olim defuncti Præfulis, magnificèque ut par exceptus, utroque cum insigni pietatis sensu, potitus est. Nam & privatim illi revisendæ Togæ facta gratia, & postquam ad S. Simeonem interfuisset sacris, invisit reconditas ipsius sancti juxta interiores gradus latebras, ac deinde Popponem Archiepiscopum, recluso monumento, pontificali in habitu per aliquot secula incorrupto jacentem, cum admiratione est contemplatus: manus utraque etiam cum suis articulis commissurisque integra. Quarum dextra admota pedo, patenam quoque auream sustinebat, micante ex digito annulari jaspide, læva exporrecta calicem aureum complectebatur. Tabulaque pectori imposita hanc dabat inscriptionem: *Poppo Trevir. Archiepiscopus obiit XVI. cal. Julii. omisso Christi anno, qui erat 1047.*

Venerunt & hoc tempore Trevirim quatuor Æthiopes Dominicanæ familiæ, ex India majore per tot terrarum ac marium spatia, sacrisque Chaldaico sermone magno cæremoniartum apparatu operati sunt.

Claudit quoque diem extremum Trevirorum suffraganeus Joannes Helmund Episcopus Azotensis, quem secutus est Joannes Eneuius, scriptor brevis historiæ Trevericæ, ædis metropolitanæ Ecclesiastes, qui annum cursum paucis mensibus hoc in munere supergressus moriens Nicolao Schinen Cellensi locum fecit, qui sub Archiepiscopis omnino quinque eodem in officio perstitit. Adeò *vita munerumque humanorum varii sunt termini.*

Interea novis distrahebantur imperii principes turis, quod Ismael Sophi Persarum Imperator, qui religionis regnique schismate à Turcis discesserat, ingenti à Selimo clade victus, Ægyptusque tota ab eodem occupata, Pannoniæ haud immerito, Germaniæ propugnaculo, formidarent. Unde indictis Augustam Comitibus de tributis ad hoc bellum conferendis est constitutum. Maximilianus verò de Carolo Rege Hispaniarum nepote suo, aut certè Ferdinando ejus fratre surrogando sollicitus, quamvis non omnino averfos haberet Septemviros, Regem tamen Galliarum Franciscum Leonis Pontificis fretum gratiâ, ejusdemque coronæ ambitione succensum, fortiter obersistentem habuit. Ut mors denique Lincii, pridie idus Januarii sequentis anni 1519. obita, consilii exitum præverterit. Ad quam tamen meditatò venit cum quinquennio antè sarcophagum quo claudendus erat, providè circumtulisset.

Mox in diversas itum, Wesaliæ primùm, ac deinde Francofurti sententias, prout quemque Principum ratio, favor, ac munera trahebant. Et Legatus quidem Apostolicus Robertus Ursinus, palam gratificari Gallo est visus, quod Leonis studia in conciliatum jam sedi propenderent.

Qui Richardum quoq; Francisci partibus addixit,

R r 3

Mar-

Æthiopes  
Dominicani  
Treviris visi.

Suffraganei  
aliquot Tre-  
virenses.

1518.

Augustanis  
Comitiis de  
subsidiis  
contra Tur-  
cam, & Ca-  
rolo V. sur-  
rogando fru-  
stra actum.

1519.

Cæsare Ma-  
xim. mortuo  
Franciscus  
Gall. & Ca-  
rolus Hisp.  
Reges coro-  
nam ambi-  
unt.

Richardus Gallo, contra alios, & frustra, favit.

Marchionem adhuc Brandenburgicum principio traxit, per illum ut sperabat fratrem Electorem Moguntinensem, traducturus; sed ubi ad Suffragia ventum Moguntinus pro Carolo stetit. Quod neque vires illi ad tuendum imperium, neque sanguis, qui juxta leges Germanus esse debeat, neque virtus jam tum in adolescentia emicans deesse videatur. Richardus tamen disertissima oratione pro Francisco, & à piis Germanis genus ducente, & viribus ex vicina gente ad subveniendum promptiore, & denique virtute jam bellis Insubricis magis exploratâ, gravissimè contendit. Sed opposita sententia pervicit, cum Fridericus Saxoniae Elector, ad quem plerique, etiam ipse occultè Pontifex (quod utriusque Regis potentiam nimiam formidaret) propendebat, suum Carolo votum, suffragiaque sibi faventia detulisset: admirabili Dei providentia; ne cum illius Ducis Luthero Apostatae adhærentis defectione, Romanum prorsus imperium corrueret: quod invicta Caroli in religione constantia agrè sustentavit.

Carolus electus Aquis coronatur.

Carolus igitur per Fridericum Palatinum ab Hispania ad coronam evocatus, Aquis illâ, quâ olim Magnus Carolus sacrificante Coloniensi, redimitus est: lue, quæ locum infecerat, nihil magnanimum principem deterrente, quin Majorum ritu vellet inaugurari.

1521.  
Lutherus Wormatiensibus Comitibus à Richardo frustra ad saniora revocatus, damnatur.

Inde ad res imperii constituendas, grassantemque latius hæresin Lutheri comprimendam Comitibus Wormatiensibus celebrata, evocatus, fide datâ Lutherus ipse, ad quem ab errore revocandum præ reliquis Richardus Archiepiscopus, ut disertus aptusque ad persuadendum Princeps, in primis admotus est. Post quem cum Hieronymus Alexander Legatus Apostolicus omnem operam perderet, evocatus publicè & à Treverico Officiali Joanne ab Eck, Cæsaris tunc Oratore, rogatus: num ea quæ scriptis vulgata suo essent nomine, tanquam sua tueri decrevisset? Lutherusque, deliberatione habitâ, postredie reversus, tuiturum se assereret, nisi è sacris litteris erroris convinceretur: res eo loco stetit, frustra iterat

teratam operam Richardo admovente, Cum Lutherus hoc eum Gamalielis responso dimitteret: *Si ex hominibus hoc opus est dissolvetur, si ex Deo est, non poteritis dissolvere.* Quo & olim usu Ariani, vix hodie nomen retinent: ut par expectari exitus queat.

Reversus domum Richardus, turbas cientem reperit Franciscum à Sickingen, bellicosum è nobilitate hominem, patre Suickero non dissimili natum, qui ob injurias bello datas captus pœnas dederat. Is sive ulturus, sive imitaturus vitam Patris, Philippum primò Hassorum principem oppidò puerum, ferro flammâque profecutus, deinde Wormatienses, postea Mediomastrices, denique Lotharingos invasit: plerisque auro vastitatem extremam redimentibus. Tantùm ubique terroris pugnacissimus homo prædatoriis cohortibus incusserat, Ecclesiasticis præcipue, sacrisque Catholicorum, ex Lutheri disciplinâ infestus. Qui libello, Magistri sui manibus exarato, gladium se Josue impietatis vindicem circumferre jactabat, Buceròque ex Dominicano, & Ulrico Hutteno ex Fuldensi Monacho Apostatis incitatoribus, Landavi in Alsatia finibus conjuratam ad se trahit nobilitatem (in quibus & Joannes Hilken à Lorich Trevericis nuper tumultibus armisque immixtus) nec citra cladem. Unde, cum ab hoc Trevirenses quidam capti, libertatique, certo pecuniarum onere, Sickingio vafre fidem, Prædis nomine, interponente, redditi essent: ac deinde, tanquam insontes, Richardi jussu, æris promissionem injuriâ extortam recusarent, Sickingius dissimulata re, ubi, velut pro Cæsare armandus copiosum scripsisset militem, hunc repentè in Treviros ducit: Richardo frustra ad imperialis judicii senatum Noribergam appellante.

Arx Bliescastellana primo occupata impetu, S. Wendalini oppidum fortioribus defensum viribus postquam triplicem muris stratis assultum sustinisset, cum Brunone Smidburgio, Henrico à Keimt Waldecero, Otone à Kettig, Henrico ab Eltz, Adamo à Sötern, & Antonio

Actor. 5.

1522.  
Franciscus à Sickingen  
Luthero hærens varias  
dioceses, & in his Trevirensē, vastat.

Varia loca Trevirorum intercipit, nobilitate captâ.

Treviris se ad  
defensionem  
parat, Ri-  
chardo ipso  
persistente

Obsidetur, &  
tribus è locis  
frustra oppu-  
gnatur.

tonio à Petra nobilibus in captivitate cessit, Grimbur-  
genſi caſtro haud multò poſt accedente. Saræburgum  
Petro à Kaldenbron fortiter propugnante, impetum fe-  
rocientis ſtuit. Ut deſperata illius expugnatione Tre-  
virim ipſam obſidione petendam decerneret. Richar-  
dus cum Gerardo Iſenburgico, quem militiae præfece-  
rat, ac præcipua nobilitate urbem ingreſſus, magnopere  
civium, haud ſegniter in armis verſantium, & præſen-  
tiâ & oratione animos excitabat. à Coloniënſi etiã  
Haſſoque principe, auxiliares quædam ſubmiſſæ copia  
ſpem deſenſionis firmabant. Ut Richardus ipſe, quam-  
vis plerisque diſſuadentibus, inter parum valida mœnia  
infractus perſiſteret, moriturumque ſe, aut victurum  
cum civibus profiteretur. Quorum nomine Joannes ab  
Eltz viciffim Principi, omnem fidem, animique ac cor-  
poris vires addixit. Ut ſanè præſtitum: quando nata-  
litio Deiparæ feſto per fauces Martii montis ſeſe urbi  
hoſtis admoverat: cum ſuas quiſque ſtationes, quas  
propugnandas acceperat, Richardo obeunte, non ſine  
æmulatione virtutis, defenderet. Æneis primùm tor-  
mentis, ex ruderibus ad Montis pedem portam Cori-  
tziã munitionesque propinquas magnâ globorum vi  
concuſſere; ſed quæ ex urbe contra librantium fuit pe-  
ritiã, diſjecta aliquot hoſtium tormenta fuère, equique  
ac directores proſtrati, ac denique ab erumpentibus ur-  
be civibus occupata, clavisque ad uſum deſtructa. Hinc  
igitur ad D. Maximini ſepta, centum fermè ab urbe pa-  
ſibus, ſuggeſtus machinarum translatus, indeque in mu-  
ros ſævitum, ſed illo eventu, ut diruta mœnium, vallis  
repentè objectis, cives inſtaurarent, adeoque nec hic  
quicquam proficerent, ex Martia urbis turri haud leviter  
viciffim afflicti. Tertiã igitur in ipſo Martis colle, du-  
centis facilè ab urbe paſſibus, quæſita ſtatio, excitatusq;  
propugnaculi ſpecie tumultus, qui hodie dum conspicu-  
us *Franciſci caputium* dicitur, ad quem acer ille bellator,  
velut ſcopulũ deſperationis, ultimò alliſus ingloriè heſit.

Miſſi ab Agrippinënſi Præſule legati, cum Franciſ-  
cum



cum eò consilii inflexissent, ut, ducentis aureorum mil-  
libus oblati, cessurum se addiceret, Richardus illa sibi  
potius in compensationem damnorum respondit deberi.  
Quare Franciscus ultimam mœnibus urbiq; vim ad-  
moturus, quidquid suppetebat à globis virium, ingessit,  
labantēque muro, cum paratos ad excipiendum irrum-  
pentes stare animadverteret, nihil attentare ausus, igni-  
torum globorum fulmine in domos evibrato, ratus est  
se constantiam labefactare civium posse; sed hæc ipsis  
mœnibus tectisque durabat fortior. Ut postremò, ad  
blanditias versus, immixtis jaculo in urbem schediis,  
promitteret immunitatem omnem incolis, solumque  
sibi adversus injuriosum Præsulem dimicationem susce-  
ptam esse ostenderet. At vulgatum hi noverant carmen.

*Esstia dulce canit, volucrum cum decipit auceps.*

Iritis ergo machinationibus, cum Principis Pala-  
tini Hassique militem in auxilium cogi intelligeret, no-  
bilitissimo D. Maximini monasterio flammis tradito,  
sanctorumque monumentis violatis, viâ, quâ accesser-  
rat, reductum militem per citerioris Mosellæ limites,  
cum obviorum locorum, vel excidio, vel tributo gravissi-  
mo, Beronis castellum traxit. Unde tamen, Palatino  
jam Hasloque propioribus, Eberbergum se avertit.

S. Maximino  
flammis  
consumpto,  
desperate  
abib.

Richardus publicâ supplicatione gratiis Deo serva-  
tori actis Limburgum ad Hassi excipiendas copias pro-  
fectus, quibus Palatini Trevirique juncti, cum in-  
staret hiems, jamque Isenburgicus S. Wendalini oppi-  
dum felici agressione hosti extorsisset, in hiberna tra-  
ducti annum sequentem vindicandis hostium injuriis  
designarunt.

S. Wendali-  
ni oppidum  
recipitur.

Albertus Moguntinensium Princeps, quod Fran-  
cisco Lorichioque milite & comite adstitisset, belli  
à Triumviris intentati metu, Francofurtensi comitio 25.  
millibus aureorum culpam redemit. Hartmannus  
Cronenbergius possessionibus, quas ut cliens Treviro-  
rum obtinuerat, postquam ad Sickingum & Lutherum  
transisset, exutus est. Joannes Lorichius implacabilis

Triumviri  
Palatinus  
Hassus, &  
Trevir bello  
vindicias  
moliuntur.

Trevirorum hostis, per Wilhelmum ab Haberen Palatini Archistrategum bello victus, & cum aliis duodecim è nobilitate captivus, finem prædandi fecit.

1523.

Nanstaliam  
arcem Si-  
ekingo in-  
cluso, obsi-  
dent.

Francisco le-  
thaliter fau-  
cio deditur.

Pœnitens  
moritur.

Post hæc bellorum præludia, junctis Triumviris ad Crucinacum castris, Sickingum, qui ex vastato Palatinatu ad propria se defendenda receperat, sua in sede petendum decrevêre. Is, cum ad firmissimam arcem Nanstaliã se recepisset, quæ in Wasgovia ad fines Alsatiaë ab oriente Rhenum, ab occidente Saravum Flumen, à meridie Vogesum montem respicit. Ebersbergo jam castra admoverant; quando ipsum belli caput, in his præruptis, petendum censent. Et favit consiliis Deus; cum locatis, in adversa rupe, tormentis intra sextiduum arcis mœnia, ac tecta difiecêre. Hinc, à convulsa per globum trabe faucius lethaliter Francisco, conditionem eã lege fecit 6. Maii, ut arx secum nobilitasque in potestate esset Principum, armisque positus miles præsiarius abiret.

Franciscus in lecto desperatè procumbens Palatinum accedentem serò ut Dominum agnovit, cum utrumque jam ex vulnere amisisset oculum. Tum verò, Hassorum Principe Henrico, & Richardo præsentibus dolens ingemuit, quod præter spem in eum se casum Deus ac fortuna conjecisset; at saluberrimus hic omnibus visus est, quo ipse ad pœnitentiam, ritu Christiano expiatus, rediit, & patria tranquillitati unius morte est restituta, Adeò mors saepe, quàm vita salubriora mortalibus consilia suggerit: & unius quandoque interitus, multorum salus est. Chytræus, Brutum illum Germaniæ fuisse credit, qui cives à Principum Episcoporumque suorum tyrannide in libertatem vendicaret, sed hæc laus à nimium simili profecto sordet. Illo verius laudatur, quòd prædatoriam licet militiam severã tamen rexerit disciplinã, sibi que deditos fortiter tuitus sit: ut etiam in malis utilitas reperitur.

Hinc ad motæ hostium arcibus Triumvirum copiæ brevi

brevi Drachenfeltzium, Homburgum, Dansteinium, Lurzburgum, ac denique fortissimum omnium munimentum, Ebersbergum, in quo Francisci gaza, argenteique ac auri vis magna, expugnata sunt. Victoriæ monumentum, ex loci thesauris, ænea arcis, Ehrenbreitsteinianæ tormenta sunt, & hierotheca ex argento auroque ingens, quam successor Richardi Isenburgicus Ecclesiæ Meinseldiæ dono reliquit.

Hadrianus Pontifex Leonis X. Successor, & ipse moriens Clementi VII. claves reliquit. Hic successibus Richardi adversus hostes Ecclesiæ lætus, datis ad illum literis, pietatem fidemque in armis etiam laudavit, omniaque se ejus gratiâ ad salutem Germanorû ac Principis velle benevolentissimè ostendit: ut apud Broverum leges.

Verum crescente per Germaniam cum Lutherana hæresi seditiosorum multitudine, non in Ecclesiasticos tantum; sed & Principes, concitata est. Quorum tyrannidem in populum, tributis aliisque oneribus exercitam, Lutherus haud leviter perstrinxerat. Hinc Noribergæ in comitiis à Richardo aliisque, cum Ferdinando Cæsaris fratre (qui absentis sustinebat vices) ac deinde Wesaliæ etiam inter Principes Ecclesiasticos de his componendis frustra laboratum est; utque Lutheranis varia gravamina, & Verbi Dei neglectum obtendentibus, spes satisfactionis aliqua fieret, Spira novis utriusque partis comitiis designata est. Sed cum ex Hispania Carolus iis interdixisset, jussissetque stare decreto Wormatiensi, quo nihil in religione novandum, ad concilium usque, Luthero ejusque libris damnatis, constitutum fuerat, res in apertam rebellionem vulgi abiit: duobus Lutheri discipulis, jam supra Magistrum audacia proterviaque elatis, agmen ducentibus. Et in Suevia quidem Christophorus Schapplerus, asseruit Christianos ab omni servitute liberos Principum tributis non obstringi; in Thuringia Thomas Munzerus fidem sibi ad parem libertatem provocanti, fictis etiam Dei revelationibus fecit, ac Gedeonis enssem ad Principum tyrannidem, nobilium-

Cetera ditiosis loca occupantur.

Clemens Pontifex Richardo victori gratulatur.

1524.

Rustici passim ex Lutheri doctrina in Dominos & nobilitatem concitati, bellum movent,

Spirensis Comitium pro compositione Carolus prohibet.

Schapplerus & Munzerus rusticos incitant.

biliumque fastum, atque Ecclesiasticorum luxum extendendum, oblatum esse iactavit.

1525.  
Germaniam  
totam con-  
jurati agre-  
res implent.

Palatino &  
Hasso Ri-  
chardus ipse  
ductor suc-  
currit, suos-  
que fines  
tuetur.

Sex millia a-  
grestium cæ-  
duntur.

Hinc Campidunensi in agro ad 14. rusticorum collecti millia initium excidio miserando, à nobili Campidunensium Abbatia eversa, dedere. Quæ seditiosorum factio Rhetiam, Sueviam, Thuringiam, Franconiâque, nobilium & religiosorum oppressione, pervagata, in Palatinatum, Hassiamque, ad Trevirorum fines usque se effudit. Unde Richardus in auxilium contra rebelles à Palatino & Hasso vocatus, Georgio à Petra militiæ Duce suppetias destinavit; quando, Winsbergo intercepto, nobilitas immani crudelitate periit, Theodoricus à Weiler ex fastigio turris præceps actus, Ludovicus Comes ab Helffenstein hastarum cuspidibus, inter quas deciesquater coactus discurrere, periit. Et jam Trevirorum affines aut subditi, ut Thanenses, Bliescastellani, Saræpontani, ac Nassovii rustici, armati libertatis vexilla explicarant. Cum Richardus collectis, quantum licuit, festinatò copiis, ipse se ductorem præstitit, junctusque Herbipolensi ac Palatino, in Nemetes, perniciosissimè vexatos, se effudit; Brussellisque, quod oppidum infederant, occupatis, Hilsbacum movit. Ubi sub Georgio Trucesio & Guiljelmo Furstenbergio fortissimis Ducibus, Suevicæ copię accessere. Hi juncti, Niculmâ expugnatâ, Regiovillam seu Königshovium, ad hostem magno numero in monte collectum tendunt, atrocique cum eodem quinque horarum congressi prælio, castris denique perruptis, ad sex agrestium millia, omnibus impedimentis potiti conficiunt. Unde Bischofsheimium, Landavum, Mergentheimium, terrore magis, quàm armis victa, deditioem fecerunt. Herbipolis posthæc debellanda supererat, in cuius sese arce ægrè adhuc nobilitas tuebatur. Hic pertinaces nihil principio moti præfractè restitère, dum suburbio cum ponte turrique interceptâ, in Principum sese gratiam submitterent. Quare Richardus datis ad Treviros literis supplicatione gratias supremo omnium moderatori

ratori Deo haberi voluit. atque ex Franconia in Palatinatum arma revocavit.

Hic denuò novem facillè millium agricularum conflata manus Federsheimium, ad Pfremum amnem, quatuor à Wormatia passuum millibus occupârat. Quod dum obsidione premit, eruptione magnam agestres cladem accepere; ut deinde arctius pressi, gratiam, quàm extremam vim, expectare mallent. Ergo trium, istic ut erant, millium numero armis positis urbem exire jussi, caverèque sub vitæ periculo ne ante imperata discederent. Cùm ad locum equitatu cinctum se duci conspicerent, metu mortis percussi, in fugam præcipientes abeunt, armisque persequentium obruuntur. Hinc Neostadium Weissenburgumque exercitu cinctum, ac lege multatæque rebellium haud levi deditum est.

Spirensibus subinde in Vere comitiis, de tuendo Imperio adversus Solimannum Turcarum Imp. profligato occisoque Hungarorum Rege Ludovico, plerisque locis receptum, Germaniæque imminentem; tum de reliqua peste rebellium compescenda est consultatum. Deinde Eslingæ hac potissimum de re actum, quòd Moguntiam, Coloniam, Trevirosque jam hæc lues afflasset, omnibus ad majorem vulgi libertatem, & ad restrictionem Ecclesiasticorum conclamantibus. Et Trevirensium quidem hæc fuere postulata. 1. Ut Clerus ex omnibus venditis rebus non minus vestigal urbi, quàm cives penderent, 2. Ut molis non uterentur præterquam urbanis. 3. Ut vestigal sextariorum, cujus dimidium ædis summæ Canonicis cedebat, publica tantum opera verteretur. 4. Ut ne quisquam Ecclesiasticorum opifices domi aleret. 5. Ut Sacrarum Reliquiarum clavem unam Senatus, cum tertia parte donariorum, obtineret. 6. Ut Sacerdotes omnes, qui nec genere nobiles, nec summæ Ecclesiæ Canonici essent, excubiis, vigiliis, aliisque publicis oneribus, cum civibus, æquarentur. Ad hæc delata, cum nihil Antistes, nisi silentium, reponeret, donec malè multatorum rebellium exemplo formidari

Alii apud Vangiones cæsi rustici.

1526.

Spirensibus Comitiis de ceteris rebellibus & auxiliis contra Turcam Hungaria potentem agitur.

Trevirensium postulata adversus clericos, ab ipsiis ejuratur.

midari plebs cœpisset, & seditio cum autoribus oppri-  
mi: tum suos ille Trevirenses palinodiam canere iussit,  
publicoque ad exemplum posterorum cavere chirogra-  
pho, nihil sese eorum postulaturos imposterum, aut ve-  
ctigalium per diœcesin immunitate, quâ cives fruun-  
tur, jure caritueros. Quod pridie D. Matthiæ tabulis si-  
gnatis spondere. Ita suos Richardus metu, reliquos  
armis debellabat.

1527,

Cometa &  
Roma exci-  
dium à mili-  
te Cæsaris.

Annus 1527. horrendis Cometæ minacis radiis  
Germaniam Trevirosque etiam conterruit, tribus etiam  
alibi solibus in Cœlo se efferentibus. Quando Roma à  
Cæsareo milite, sed Gallo Borbonio Duce inter primos  
per mœnia enixo & cadente, occupata, Clementem  
Pontificem suum in vinculis, se verò hæreticorum pœ-  
nè manibus excisam luxit.

Hassus dolo  
hæretici ho-  
minis indu-  
ctus contra  
Ecclesiasti-  
cos Principes  
arma sumit,  
vixque à Ri-  
chardo com-  
ponitur.

Tota verò Germania ad libertatem à Luthero se-  
cularium, Ecclesiasticorum verò oppressionem, dire-  
ptionemque sacrarum possessionum invitata, cum ple-  
risque Principibus tam pingui spolio delectatis, in hære-  
sin ferè præceps abiit. Stabat in prisca religione Geor-  
gius Saxonix Princeps adversus minas blanditiasque  
Lutheri invictus, quem ut Otto Paccius illius Consilia-  
rius everteret, fedus confingit ab ipso catholicisque  
Præsulibus adversus Lutheranos, Hassumque inprimis  
opprimendum conceptum, ejusque supposititias pro-  
fert tabulas, sui Principis sigillo munitas, quas clam  
Hasso transmittit. Qui, ut adversarios præverteret, con-  
scripto milite Moguntinæ, Herbipolensi, & Bamber-  
geni diœcesi bellicosus juvenis imminerebat. Cùmque  
belli causam expromeret tabulas, eamque Principes ipsi,  
ceu auctori, fraudem impingerent, nisi alium proderet:  
Otto productus, agnitæque perfidia est, quam in gra-  
tiam sui Lutheri homo perditus concinnarat. Hassus  
tamen armis jam promptis componi ante non potuit,  
quàm Richardo interveniente, cui multum tribuebat,  
centum ac viginti aureorum millibus à proposito de-  
ductus est.

Ad

Ad Spirensi adeinde Comitibus reversi Principes iniere consilium quemadmodum Solimanno formidabili 300, millium exercitu, Budâ Strigoniôque jam captis, Austriæ imminenti præsidia tuta opponerent. Adfuit ille priusquã Germani iusto exercitu convenirent obsessaq; Vienna, summâ vi connisus, viginti facîle per Octobrem insultibus extrema molitus est, fortissimè Philippo Rheni Palatino, & Nicolao Salmensi Comite urbem propugnantibus: ut Sexaginta hominum millibus ante urbem perditis, hieme jam altissimisq; nivibus ingruentibus, desperans recesserit. Bellum tamen, fames, pestisq; consecuta, perque totam à Rheni fontibus diffusa Germaniam, plures longè, quàm gladius sustulit. Ut ab exorta hæresi, & homines, & elementa, & Superi in hanc pugnare viderentur: atque, ubi hæc deficerent, ipsi in se mutuo Germani sævirent.

Proximo anno Carolus, rebus in Italia ad quietem compositis, honorificè à Clemente exceptus, imperialisque coronâ Bononiæ donatus est. Hinc ad Augustana Comitibus, rebellesque Ecclesiæ coercendos, ac subsidia adversus Turcam comparanda, in Germaniam professus Confessionem Lutheranorum à Melanchthone Lutheri discipulo concinnatam excepit, quam ex Septemviris unus Elector Saxonicus, & Principes alii quatuor, cum duabus urbibus propalam solùm amplexi, ceteri unâ cum Cæsare aversari tunc visi sunt. At Cæsari cum in votis esset, ut frater Ferdinandus Rex Rom. crearetur, qui, se absente, summâ autoritate Germanos regeret, eique Ecclesiasticos potissimum Electores consilio adfuturos crederet, descendit cum Ferdinando Coloniam, ubi & Richardus, (quem Augustâ morbus distingerat) cum reliquis præsens favit. cunctorumque suffragiis, in æde summâ Rex, ipsa trium Regum festivitate, pronuntiatus, Aquisque XI. Januarii, nequicquam reclamante Saxone, est coronatus. Quæ ultima Richardo solennia in vita fuere, siquidem valetudine jam fractus, ad Witlichiam delatus arcem, XIII. die

1529.

Solimannus  
Viennam ob-  
sident, ac reji-  
citur.

1530.

Carolus à  
coronatione  
ab Italia Au-  
gustam venit,  
Confessio-  
nemque Luth-  
theranam ac-  
cepit ac reje-  
cit.

Coloniæ Fer-  
dinandus e-  
jus frater Rex  
eligitur, &  
Aquis coro-  
natur.

1531.

Richardus  
moritur.

Bartholo-  
mæus Lato-  
mus ejus en-  
comiaſtes  
eruditissi-  
mus.

die Martii, anno vitæ 64. ad immortales tranſiit, credi-  
tus ex hauſto aquæ frigidæ, Veneno infeſtæ, malum in  
arce Thaborina contraxiſſe. Delatus Trevirim, hono-  
rificaque inde pompâ ad portam S. Simeonis omnium  
ordinum exceptus, in æde ſumma, ante aram S. Ceucis,  
depoſitus, ſub lapide hiſ verbis inſcripto: *Richardus ex  
familia Gryſenclau à Volrats Archiep. Trev. vita fun-  
ctus XIII Martii ſubtus quieſcit. MDXXXI.* Panegyrim  
dixit Bartholomæus Latomus, vir id ætatis verſu proſiq;  
diſertiffimus, Sickingiani belli carmine eleganti, geſto-  
rumque Richardi deſcriptor: qui ſic de illo inter cetera,  
*Cum præſſet in ampliffimo principatus munere, & quie-  
tam hanc religionis pietatiſque curam, & illam turbulen-  
tam negotiorum adminiſtrationem pari ſaſtigio conſecu-  
tus eſt. In qua utraq; re, qui excellere, eſi tum mu-  
nirerentur pauci, Richardum tamen, ſingulari quadam fe-  
licitate utriuſque muneris, tantam adeptam fuiſſe lau-  
dem, ut ſi divina rei cultum ſpectares, cum religioſiſſimis  
ſin externarum rerum induſtriam, cum prudentiſſimis  
meritò dicere comparandum. Iam verò qua animi ejus  
preſtantia, qua fides in depellendis ſuorum periculis, qua  
conſilii gravitas & conſtantia, ab iis qua à nobis literis  
mandata ſunt, exempla non obſcura ſumere licebit. Sedem,  
quam exhaustam pœnè ære alieno, & implicitam gra-  
viſſimis oppignorationibus acceperat, conſtat non modo  
adminiſtraſſe liberaliter & munificè; ſed depreſſam ad  
priſtinas pœnè reduxiſſe facultates Hæc aliaque de eo La-  
tomus. Qui & hoſ verſus monumento, cum ara, illi  
conſtituto, adjeçit:*

*Aspice Richardi monumentum Præſulis hoſpes,  
Hic gelidâ cujus membra quiete cubant.  
Quem meritò Trevir ſublato flevit, & alto  
Vindicis ingemuit pectore fata ſui.  
Ille ſed inſanos motus, terrasque relinquens,  
Induit ethereas, quas tenet, auctus opes.  
Luſtra novem, totidemque biennia duxit; at illi  
Tredécimo claſſit Martius orbe diem.*

LIBER